

## Lucii Annaei Senecae

tragoedia quae Oedipus inscribitur cum Sophoclis Oedipo Rege comparata.

Quod in Euripide factum esse videmus, ut diu acerrime inter viros doctos certaretur, quorum maior pars maximis eum vitiis laborare contendebant, pauci tamquam patroni et famae et laudis eius exsisterunt, idem Senecae, tragico poetæ romano, accidit, cuius de ingenio et arte magna ad hunc diem fuit eruditorum hominum dissensio. Etenim illum quamquam non defuerunt, præcipue apud Gallos, qui non laudibus modo summis efferent, verum etiam quem imitarentur quasi perfectum poetam sibi proponerent, tamen longe plurimi eique germanici scriptores, perspecta penitus graecæ tragediae natura et inde, vix qui legeretur dignum censuerunt. Horum autem tantum valuit auctoritas, ut nostris temporibus contemptae fere aut neglectae iaceant eius tragediae, nisi quod qui paucis abhinc annis de versibus eius ac numeris expsuerunt Schmidtius, Muellerus, Hochius ex diuturna quadam oblivione nobilissimi olim poetæ nomen in memoriam redegerunt ac studia diu intermissa feliciter revocaverunt. Et Muellerus quidem, cuius in restituendis recteque aestimandis eius carminibus maximi habenda est opera, etsi in lyricis versibus nonnulla reperiantur, quae aliter facta cupias, tamen in senariis optimorum poetarum severas leges magna eum diligentia observavisse comprobat. Nec vero minorem Seneca in oratione quam in numeris curam adhibuit, eumque Quintilianus quamvis vehementer vituperet, tamen ingenio dicit esse facili et copioso, plurimo studio, multa rerum cognitione. Et verissime idem iudicayisse mihi videtur, quum addat »velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio<sup>1)</sup>. Nam iudicio certe utitur corrupto et ex hoc quasi fonte plurima eius vita profluxerunt. Tuetur etiam eius laudem is, cuius modo mentionem feci, Lucianus Muellerus, qui tamen fortasse nimio eius favore abreptus, quae ipsius Senecæ vita esse aequalis eius Quintilianus indicat, in tempora eius et artis tragicæ Nerone imperatoris conditionem transferre studet.

Ego vero medianam quandam viam inter nimios laudatores et vituperatores ingressus, quum comparata Sophoclis præclara illa fabula de Senecæ Oedipo Rege iudicaturus essem, ita rem instituendam existimavi, ut nec quae minus recte eum fecisse intelligerem reticerem et quae laudanda essent libere indicarem. Cavendum enim in hac quaestione magnopere est, ne summorum nec doctorum solum sed elegantissimorum virorum sententias amplexus, quibus paene omnibus damnatum eum videmus, iniquius ipse iudices, neve ab his dissentire quam assentari eis turpius existimes.

Quum autem ars poetarum tragicorum in quatuor potissimum rebus posita esse videatur, in fabulis adornandis, in componenda actione, in moribus describendis, in affectibus qui tragicci dicuntur excitandis, commentationem hanc in quatuor partes divisimus, quarum prima est de fabulis.

<sup>1)</sup> Nam Senecam philosophum eundem esse atque tragicum poetam mihi quidem persuasum est et is, qui nuper de Seneca tragœdiarum auctore scripsit, Gustavus Richterus, comprobavit.

### I. De fabulis agitur, quibus tamquam actionis fundamento usi sunt et Sophocles et Seneca.

Notissima res est Senecam in tragodia sua Oedipo secutum esse Sophoclem<sup>2)</sup>. Id primum ex fabulis apparet. Quaerentes enim, qua ratione uterque poeta fabulas de Oedipo a maioribus acceptas mutaverit, alias integras servaverit, facile intelligimus, quam ingressus Sophocles sit viam, eam constanter, paucis immutatis, tenuisse Senecam. Nam ille quum ab Aeschylo et ea, quae vulgo de Labdacidarum fatis erat opinio, in nonnullis rebus recessisset, ita eum secutus Seneca est, ut quaecunque ille commutavisset, retineret, reiiceret autem et refingeret paucissima, quae minus bene adornata esse existimabat. Primus enim Sophocles<sup>3)</sup> Oedipum, quem vetustiores poetae infantem expositum, a pastoribus inventum educatumque narravabant, a matre finxit pastor, ut exponeretur, traditum et ab hoc alii pastori creditum Corinthum ad regem Polybum perlatum esse. Deinde quod Aeschylus antiquissimam fabulam secutus dixerat Laium prope Potnias in Boeotia occisum esse, ita mutavit Sophocles, ut caudem in Phocide in trivio, cui Schistae nomen fuit, factam fingeret. Etiam haec ab eo inventa videntur, quod non multo post oraculum Oedipo ab Apolline datum Laius interficitur, quod Oedipus iter pedibus faciens patri occurrit in curru sedenti, quod vim passus, non superbia ductus caudem committit. Sphingis vero crudelissimi illius monstri verba obscura alii poetae Oedipum interpretatum esse tradunt praemio a Creonte proposito adductum, Sophocles fortuito in eam incidisse et fortuna iuvante victoriam reportasse dicit. Porro apud hunc Oedipus post longum temporis spatium tum demum cognoscit et patrem se necavisse et matrem uxorem duxisse, quum gravissima pestilentia exorta irasci deos apparuit; ceteri poetae eundem tradunt sive ipsius verbis quibusdam temere prolatis ab Iocasta cognitum, sive armis Laio detractis, sive pedum vulneribus proditum esse, sive Polybi uxorem rem totam patefecisse.

Quas res a Sophoce et sapienter inventas et mira arte coniunctas quum Senecam videamus, omissis reliquorum poetarum commentis, ad unam omnes retinuisse, dubium profecto esse non potest, quin Sophoclem, tragicorum graecorum principem, imitandum sibi proposuerit. Sed tamen in nonnullis ab eo dissentit. Quod cur fecerit, quoniam in rebus et inveniendis et connectendis magna ars a poetis adhiberi et debet et solet, investigandum nobis et dijudicandum est, utrum melius an deterius Sophocle in exornandis fabulis versatus sit.

Ac primum quidem Sophocles Oedipum Polybo eiusque uxori Meropae infantem traditum et ab eis pro filio educatum tradit, Seneca contra Euripedem (vide Phoenissarum prologum) secutus eum fingit a Meropa tamquam ex se procreatum suppositum esse Polybo, causamque cur id factum sit, addit illam existimavisse regni herede adscito facilius in fide et officio cives retineri posse. Recte autem Vollbehrius (de Oedipi Regis Sophocli oeconomia scenica) animadvertisit Euripidis narrationem probabilioriem videri quam Sophoclis.

<sup>2)</sup> G. Richterus in libro suo »de Seneca tragœdiarum auctore« argumentis quibusdam tum ex metris, tum ex dicendi genere petitis »vero proximum se habere ait Oedipum scriptam non esse a Seneca« (p. 32). Mili tamen non persuasit. Nam primum ea, quae de versibus collegit a communī ceterarum eiusdem poetæ fabularum consuetudine recentibus, tam gravia non sunt, ut Oedipum Senecæ abindices: partim enim quae vituperantur etiam in eis fabulis, quae genuinae existimantur, inveniuntur, partim aliam quandam excusationem habent, id quod ipse Richterus minime negat (cf. p. 22 seqq.). De dicendi vero genere si quis recte indicare vult, non sufficit de una et altera particula velut etiam, quoque, donec, adhuc, adversus, potius, ecce disputare et tria vocabula afferre, quae raro apud alios scriptores reperiuntur, sed tota orationis indoles aperienda et tum sententiarum, tum verborum ratio habenda est. Accedat oportet de ceteris rebus, in quibus ars tragica versatur, intelligens iudicium. Quae si quis recte perpenderit, facere non poterit quin recte indicasse L. Muellerum sibi persuadeat, qui omnes praeter Octavianum fabulas Senecæ tribuit quum haec dicat: »in ceteris fabulis omnium rerum sive ad dramaticam artem sive ad dictiōnēs proprietas spectantia certam claramque agnoscimus aequabilitatem — nec vero minus metricas rationes carminum illorum inter se sunt similes et aequales«. Nec vero Bentleius, cuius imprimis auctoritate Richterus nititur Oedipum suspectis, quas existimat, Octaviae, Herculi alteri, Agamemnoni adnumerare ausus est.

<sup>3)</sup> Vide quae diligentissime de hac re exposuit Schneidewinius in libro suo, qui est de Oedipi fabula, et in dissertatione ea, quam praemisit editioni suae Oedipi Regis.

Deinde Seneca Sophoclem imitatus Laium in Phocide imperfectum esse narrat quidem, sed cur factum sit, ut eo loco Oedipus, quem Corinthi adolevisse fingit, in patrem inciderit, causam affert nullam. Nam quod Oedipus apud eum dicit se ab Apolline monitum patriam Corinthum fugisse, ea re non satis probatur, cur per Phocidem iter exsul fecerit. Quanto melius Sophocles! Qui quidem non solum causam affert, cur Oedipus, Corintho relicta, oraculum Delphicum adierit, sed etiam mira arte eo ipso tempore, quo Delphos tristissimo oraculo perterritus reliquit, patri occurrentem fingit eundem deum consulturo, qui caudem eius per filium patrandam paulo ante praedixerat.

Etiam in caede Laii ipsa narranda Seneca a Sophocle discrepat. Apud hunc enim Laius curru vehitur, quatuor comites sequuntur, quorum unus auriga est. Is et Laius per vim Oedipum de via pellunt. Iratus ille aurigam baculo ferit. Tum rex stimulo praetereuntis Oedipi caput verberat. Quo facto ille baculo regem ipsum et omnes comites occidit praeter unum, qui fuga salutem quaerit. Brevius rem Seneca his paucis versibus explicat:

Redit memoria tenue per vestigium  
Cecidisse nostri stipitis pulsu obvium  
Datumque Diti, cum prior invenem senex  
Curru <sup>4)</sup> superbis pelleret, Thebis procul,  
Phocaea trifidas regio qua scindit vias.

Additque poeta postea comitum maiorem numerum non adfuisse regi, quippe quos »error ancipitis viae febellisset«, paucos apud currum remansisse et horum neminem imperfectum esse praeter unum, quem »fides virtusque consortem (Lao) addidisset« <sup>5)</sup>. In quo hoc praecipue mirandum videtur, quod Seneca omnes comites praeter unum effugisse, Sophocles periisse omnes uno excepto refert. Prudentius vero hic quam ille! Nam Sophocles quum antiquam de Oedipo fabulam — ut supra dictum est — ita commutavisset, ut eum post longum tempus quum diu et feliciter Thebis regnavisset, sclera cognoscentem induceret, facere profecto non potuit, quin aut omnes eos, qui testes Laii caedi interfuerant, aut quam plurimos tolleret. Oedipus enim, postquam Sphinge imperfecta, regnum et Laii uxorem nactus est, fortuna sua regisque opibus frui non potuit, quamdiu ii vivebant, qui ab eo occisum esse Laium sciebant. Quare Sophocles non plures quam quinque comites regi addidit eosque omnes imperfectos esse narravit praeter unum. Cui quidem ut vitam condonaret, hac causa motus est, quod eius servi opera postea Oedipus sceleatum suorum convincitur. At, dicit aliquis, iste servus nonne putandus est caudem Laii Thebanis nuntiasse? Narravit vero, sed rem aliter ac facta erat narravit, quum fingeret a compluribus praedonibus impetum in Laium factum esse, idque eo consilio fecit, ne ipse, quod regem deseruisset, ignaviae poenas daret. Sic bene Sophocles cavit, ne quid minus probabiliter commentus esse videretur <sup>6)</sup>. — Seneca autem negligentius fecit. Nam ut taceam inventum illud haud sane probabile, quo maior comitum pars viae errore decepta abfuisse tum, quum rex caedebatur, fingitur (qua in re hoc poetae consilium mihi videor reprehendere, ut et multitudine ministorum augeret speciem regiae dignitatis <sup>7)</sup> neque tamen committeret, ut Oedipo, qui solus esset, certamen cum magna comitum manu esset ineundum) — quid turpius fieri potuit, quam in eos laqueos incidere, quos quem imitabatur tam caute evitavisse videret? Pluribus enim consciis,

<sup>4)</sup> Male mutavit Peiperus »Cursu superbūs«, quod est absonum (cf. L. Muelleri de re metr. pag. 451).

<sup>5)</sup> Sine dubio vetustiores Seneca secutus est fabulas, quibus unus auriga cum Lao periisse prohibebatur; cf. Statii Theb. 7, 251; Apollodor. 3, 5, 7 et aliorum narrationes, de quibus copiosius disputavit Schneidewinius in libro de Oedipi fabula p. 13, 19, 43.

<sup>6)</sup> Cf. Schneidew. I. I. p. 43: Dass Sophocles dem Laios statt des einen Wagenlenkers in den meisten Erzählungen eine Begleitung von drei ἄρδος λοχίται gibt, ist eine poetische Notwendigkeit, um das Entkommen des Einen, der falsche Nachricht nach Theben bringt, zu motiviren.

<sup>7)</sup> Moverunt fortasse Senecam verba Sophoclis:

πότερον ἐχίσσει βασίς, η πολλούς εχων  
ἄρδος λοχίταις, οἱ ἀνηροὶ αρχηγέτης;

qui cogitari potest caudem tamdiu celatam esse? Saltem evellere eum scrupulum animis vel audientium vel legentium poeta debuit et causam afferre, cur in compluribus hominibus ne unus quidem inventus esset caedis verus sincerusque nuntius, quod ille facere prorsus neglexit. Sed missam faciamus hanc de comitum numero quaestionem: hoc unum addam Senecam, quum certum ministrorum numerum non statuat, annorum tamen rationem habuisse. Dicit enim decimum annum fuisse post interfictum Laium (»Decima iam metitur seges«). Et id quidem, sive invenit ipse, sive auctorem quandam secutus est, non male addidit. Ceterum apud Sophoclem, quamquam anni non numerantur, tamen temporis significatio est; interroganti enim Oedipo quantum temporis post occisum regem praeterlapsum sit, respondet Iocasta:

*σχεδόν τι πρόσθετη, ή σὸν τῆςδ' ἔχων χθονός  
ἀρχὴν ἐγαίνον, τούτη ἐνηργήθη πόλει.*

De ceteris rebus, quae in scena aguntur, infra explicabitur; commemoranda tamen hoc loco est mors Iocastae, quam quum iam Homerus laqueo se suspendisse narravisset eumque secutus esset Sophocles, gladio coram populo fingit Seneca uterum percutientem. Quod eum ex Euripidis Oedipo sumpsisse Vollbehrius (de Oedipi Euripideae fragmentis) affirmat quum dicat: »similis fuit exitus dramatis Euripidei Senecae, ubi Iocasta in gladium Oedipi, quo olim patrem necavit, ipsa incubbit, ut eodem telo quo Laius vitam efflet«. Quam sententiam quibus argumentis probare possit, ipse viderit. Evidem ex antiquissimis illud fabulis fluxisse crediderim, quibus Oedipus gladio Laium interfecisse narrabatur (cf. ea quae Nicolaus Damascenus tradidit: ὁ δὲ (Oedipus) ὑπὸ μεγαλοφροσύνης τῷ ξίφει πλήξας αὐτὸν (praeconem) καὶ Αἴανθος θούγατα ἀπέκτεινε). Sed undecunque illud de Iocasta eo ipso gladio se necante, quo Laius occisus erat, sumpsit Seneca, qua tandem incuria eum fuisse putamus, qui quum media tragœdia dixisset Laium ab Oedipo baculo interfectum esse, in extrema parte haec verba Iocastae tribueret:

»... agedum, commoda matri manum;  
Si paricida es, restat hoc operi ultimum.  
Rapiatur ensis; hoc iacet ferro meus  
Coniux.«.

## II. De eis, quae in scena aguntur.

Exposita fere utriusque poetæ in fabulis de Oedipo tum retinendis tum mutandis ratione, sequitur, ut de actione ipsa dicatur.

Comparant autem utriusque tragœdiae argumenta quamquam simillima esse statim apparent, tamen discrimina quaedam ultiro se offerunt, ex arte poetarum repetenda. Initia enim primum fabularum plane diversa sunt. Nam Sophocles quum ceteris in fabulis agendo potius quam narrando aditum ad rem ipsam parare soleat, tum in huius tragœdiae initio scenam pulcherrime ita instituit, ut quanta pestilentiae clade Thebani tum laborarent non audire sed prope dicam quasi oculis cernere videamur. Atque hoc artificium iure omnes admirati sunt praeter unum Vollbehrium (de Oedipodis Regis oeconomia scenica), qui vituperandum esse duxit, quod duobus quasi choris usus esset Sophocles, quum uno eodemque choro idem assequi potuisset, summam enim artem minimi esse apparatus. Suam esse simplicitati laudem nemo negabit, sed ut oratorum ei magis probantur qui ornati sunt et copiosi quam exiles et tenues, ita in tragœdiis varietas et copia, dumne modum excedas, gratissima habetur. Senecae autem prologus ad Euripidis consuetudinem proxime accedit: non agitur quidquam, sed ea narrantur quae multitudini innotescere poeta, antequam actio inciperet, voluit.

Deinde in rebus quae spectantur et aguntur in scena longe brevior est Seneca Sophocle. Nam ut taceam de eis, quae in prologum suum Seneca quum relegavisset, actione ipsa aperire non potuit, desiderantur apud eum iurgium illud inter Tiresiam et Oedipum, Iocastae supplicatio, occaecati Oedipi cum Creonte et filiolis colloquium, pro quo Iocastae cum Oedipo sermonem ultimum substituit. Brevisse porro apud Senecam omnia quae aguntur absolvuntur et festinatione quadam ad finem perducuntur, contra in narrandis eis, quae extra scenam agi finguntur,

iusto verbosiores sunt nuntii. Eo pertinent imprimis extispicium illud verss. 291—383 narratum et Laii ex tenebris evocatio verss. 530—659. Negari tamen non potest in his narrationibus pulcherrimos reperiri locos et vel optimis poetis dignos. Et ut numeris indicemus, quam brevis sit in agendis rebus, quum totum eius carmen in editionibus vulgaribus fere 1060 versus habeat, 530 versus actioni tribuit, totidem narrationibus et choro; Sophocles contra, cuius tragoedia 1530 ferme versus complectitur, non amplius 318 versus choro et narrationibus assignavit.

Apparet igitur Senecam antiquissimorum tragicorum poetarum secutum rationem a perfecta arte, qualis a Sophocle exulta est, recessisse. Narrando enim et cantando prisci poetae quum maiorem operam impendissent quam agendis rebus, quas angustis finibus, tertio actore carentes, circumscrivebant, Sophocles addito tertio histrione altiore viam ingressus in describendis moribus tragicam artem quam in carminibus et orationibus picturarum instar ad delectandos animos accommodatis conspici maluit. Secutique eius exemplum sunt omnes poetae, qui quidem et arte et ingenio pollerent. Contra ei, qui varia hominum studia et contentiones et virtutes et vicia imitando exprimere indeque quasi ex fonte suo facta ipsa deducere se posse desperabant, ad faciliorem istam antiquorum poetarum simplicitatem descendebant et lyricis epicisque poetis quam dramaticis facti sunt similiores. In horum numerum referendus est Seneca, qui quum ad carmina facienda satis bona indole praeditus esset, si ad lyricam vel epicam poesin se applicavisset, maiorem sine dubio laudem consecutus esset.

Et quam mediocri sit arte in actione fabulae componenda etiam hinc intelligitur, quod singulas partes non ita, ut debuit, copulavit. Nam ut exemplum afferam, cur in primo actu Iocasta in scenam prodeat, non satis liquet. Quare nonnulli quum ab initio in scenā eam adesse statuissent, versum decimum octavum »Est maius aliquod patre mactato nefas?« non Oedipo, sed illi tribuerunt. — Deinde Tiresias non arcessitus a rege, ut apud Sophoclem, sed »sorte Phoebea excitus« advenit. Verba obscura! Unde enim cognoverat Apollinis responsum? A Creonte? At is ipsi regi fatale oraculum referre veretur. An a deo edoctus? At id dicere saltem debuit. Porro Tiresias immolatis frustra hostiis cum Creonte et Mantone Laium ab inferis excitaturus chorūm iubet, dum ipse absit, carmine Bacchi laudes celebrare. Quod carmen quum ad argumentum tragoediae prorsus non pertineat, fieri non potest, quin actionem plane interrumpat ac tollat. Interponere autem huiusmodi versus ab eis quae aguntur alienos iure vitio vertitur.

Denique exitum prorsus alium Senecae habet tragoedia atque Sophoclis. Apud illum enim ita res finitur, ut occaecato Oedipo Iocasta se gladio interficiat, apud Sophoclem autem Oedipus cum Creonte congressus Iocastam humari iubet et filias tuendas tradit. Atque hanc extreraam Oedipi Sophocleae partem tamquam supervacaneam et male adhaerentem quum alii reprehenderunt, tum Vollberhius (l. l.) ita explosit, ut neget filias Oedipi in scenam inducendas fuisse, quarum turpior an tristior aspectus sit dicendus se haerere ait. Scilicet turpiores illae et Iocasta et Oedipo! Et tamen hos in scena versari patitur censor iste severus, qui si sibi constaret, delendam potius totam fabulam censeret. Alii hanc ob rem additam illam partem existimant, ut transitus quodammodo ad aliam eiusdem trilogiae fabulam — Coloneum Oedipum significant — pararetur, quae sententia nullis probari potest argumentis. Quare equidem Kockio plane assento, qui propterea dicit<sup>8)</sup> Sophoclem ea addidisse, ut atrocissimis rebus propositis perterritos turbatosque spectantium animos paullatim sedaret et quam maxime miserationem eis moveret. Quod quam egregie efficerit Sophocles neminem fugiet, qui Senecae fabulam legerit, nam in hac ad ultimum versum usque ita augetur rerum atrocitas, ut nulla animorum remissione facta oblectamentum esse possit nullum.

<sup>8)</sup> Ueber den Aristotel. Begriff der Katharsis etc. p. 73: »Unsere Tragödie würde langē den Ruhm nicht verdienen, der ihr zu allen Zeiten in reichlichem Maasse geworden ist, wenn die letzten Scenen, in denen Oedipus mit Kreon sich versöhnt und ihm seine Töchter zur Pflege und Erziehung übergibt, nicht vorhanden wären. Sie gehören so sehr und so bestimmt zu der Tragödie, dass dieselbe kein sophokleisches Drama mehr sein könnte, wenn sie fehlten. — et quae seqq.

### III. De personis agitur.

Personis, quae in Sophoclea tragœdia loquentes inducuntur, Seneca addidit Mantonem, Tiresiae filiam. Ea autem, sive alium poetam secutus, sive suo invento usus est, carere propterea non potuit, quod Tiresiam, qui caecus erat, immolantem facit hostias, ut ex earum extis quis Laium interfecisset cognosceret. Praeterea in personis nihil mutavit, nisi quod pastorem illum, cui Iocasta infantem Oedipum tradiderat, cuius nomen apud Sophoclem non legitur, Phorbantem nominavit usitato illo quidem et in fabulis perulgato nomine (cf. Schneidewin. de Oed. fab. p. 45). Primas autem partes apud utrumque poetam agit is, a quo fabulae ipsae nomina acceperunt, Oedipus.

#### Oedipus.

Mores Oedipi a Sophocle summa et admirabili arte descriptos esse quamquam omnes, quorum intelligens est iudicium, consentiunt, tamen hinc dissensio quaedam orta est inter eos, quod alii fati nimiam atque saevam vim, qua vel probissimi homines ad turpissima flagitia noientes impulsi factique nocentes gravissimis poenis afficerentur, a Sophoclis tragœdiis abhorre putantes tanquam iustitiae propugnatores Oedipum in ius vocatum non modo accusaverunt verum etiam severissimo iudicio ut ita dicam capit is damnaverunt, alii non minore studio hominem optimum immerito poenas luere et immitti implacabilique necessitatibus obnoxium fuisse contenderunt. Atque illi ut deorum consilia iusta fuisse evincerent, socordiae et negligentiae et violentiae Oedipum insimulaverunt eumque vir doctus quidam dicit iram deorum avertere et, si cautior fuisse, fata effugere potuisse. Quam sententiam falsam esse Heinemannus et qui eum secutus est Berghrothius probaverunt argumentis gravissimis, quorum ille quin peccavisse Sophoclem iudicasset, quod innocentissimum hominem atrocissima mala subire pateretur, hic tamen aliquam in Oedipo culpam sibi reperisse visus poenas dare eum affirmat, quod nimio studio abreptus et in Tiresiam et in Creontem male consuluerit. Verum enim vero patrem quod occidit matremque duxit uxorem, poena afficitur, non quod in scena nescio quid minus humane fecit. Atqui patrem sine dubio nulla sua culpa occidit et ignarus matrem in matrimonium duxit. Ergo vere innocens habendus est. Nihil igitur agunt, qui maculam aliquam in eo indagant, ut debitam poenam dedisse comprobent. Mihi quidem recte Schneidewinius iudicasse videtur, qui, missa illa de fato quaestione, hoc spectasse Sophoclem dicit, ut quod antiquissimarum iam fabularum argumentum esset, perspicue et luculenter ostenderet Oedipum »delicta maiorum immeritus luisse« et hoc summa arte et diligentia secutum esse, ut prudentis viri per varios errores verum quaerentis et tandem cognoscentis evenisse illud horrendum, quod dudum fugeret, animi affectiones ad veritatem quam maxime posset accommodaret.<sup>9)</sup>

Qualem autem Oedipum suum sibi proposuerit, breviter, quoniam a plerisque explicatum est, indicabimus. Itaque primum rex est et patriae amantissimus et civium salutis studiosissimus, quare in eum tamquam in patrem et custodem omnium Thebanorum oculi conversi sunt. Et in principio tragœdiae cives auxilium eius implorant, ut, quoniam in eo omnem spem collacatam habeant, labefactatam civitatem restituat. Quam benignum illo loco se praebet, quam paratum ad omnia exsequenda, quae salutem aliquam afferre possint! Itaque responso Apollinis allato, statim convocatis primoribus civitatis quid opus factu sit ostendit. Arcessitur Tiresias;

<sup>9)</sup> De Oedipo p. 33: »Sophocles ganze Kunst ist darauf gerichtet, den Sinn des uralten Mythos, wonach Oedipus delicta maiorum immeritus luit, bestimmt und scharf herauszukehren. Der grösste Fleiss des tiefsinngigen Dichters ist darauf verwandt, den Helden des Dramas psychologisch wahr darzustellen bei der auf mancherlei Irrwegen allmälig erlangten Aufklärung aller Missethaten, durch welche aller menschlichen Klugheit und Fürsicht zum Trotz dem einmal gesprochenen Götterworte vollständige Bestätigung zu Theil geworden ist.«

dicere iussus, quis Laium interfecerit, negat se facturum. Oedipus primum precibus instat, mox, ubi nihil se proficere intellexit, iratus vatem vehementer increpat. Tum item ille ira commotus quod tam multos annos tacuerat, obscure primo, deinde certis verbis, ingravescente rixa, significat Oedipum eum esse, quem deus urbe pelli iusserit.<sup>10)</sup> Sequitur cum Creonte altercatio. Etiam hoc loco ira incensus rex appareret eoque magis ardet, quo magis antea uxoris fratre confusus erat. Tamen ne hoc quidem loco gravissimae causae desunt, quibus eum excuses (cf. Bergengroth: Ist der König Oedipus des Soph. eine Schicksalstrag. ? p. 13 et Th. Kock Sophocleische Studien 2. Heft p. 23). Et quamquam, ut iuvenem et regem, fervido eum esse ingenio Sophocles voluit, tamen non saevum finxit, immo placabilem. Nam intercedentibus choro et Iocasta vitam Creonti condonat, quum haec dicat:

*ὅδ' οὐν τίω, κεῖ χορὶ με παντεκῶς θαυμή,  
ἡ γῆς ἄπιμον τῆςδ' ἀπωσθῆται βίᾳ.*

Et talis quidem in priore actionis parte esse fingitur. At quanta fuit usque ad hunc locum securitate, tanto iam metu cruciatur auditio fatali illo trivii verbo. Angitur, dolet, luget, suo se edicto obstrictum teneri tantum non persuasum habet. Frustra eum consolatur Iocasta impie oracula mendacii arguens: una spe nititur fore ut pastor, quem adduci iubet, Laium a praedonibus occisum esse testetur. Atque haec inter metum et spem animi fluctuatio pulcherrime a poeta descripta est. Dubitanti subito lux aliqua affulget: Polybi morte nunciata partem nefandorum flagitorum ab Apolline praedictorum sese effugisse laetatur. Animus reddit et securitas, et insperato gaudio percursus eo progreditur inconstantiae et levitatis, ut uxori assentiatur valere iubenti omnia deorum oracula. Mox tamen de statu deiectus, novo exorto timore veretur, ne illud eveniat, quod deus ei de matre responderat. Sed a nuntio Corinthio certior factus non esse se Meropae filium, quibus tandem parentibus ortus sit cognoscendi cupidus, eundem illum pastorem, qui Laii comes olim fuerat, frustra uxore adversante, arcessit. A quo ubi audivit se Iocasta natum esse, dolore et furore incensus ad illam poenam, quam ipse Laii percussori indixerat, alterum addit supplicium, quo incestas nuptias luat oculosque sibi effodit, »quoniam non vidissent, quae videre eos oportuisset.« Sequitur spectaculum miserationis luctusque plenum. Oedipus luminibus orbatus conqueritur miseram sortem suam. »Utinam, inquit, infans perissem! Non enim patrem interemissem, nec dicerer eius maritus, qua ortus sum; nunc vero impius sum et impiae filius et si quod maximum malum concipi potest, id sortitus est Oedipus.« Creon adducit filias Oedipi, quas ille ultimum allocutus quanto amore se praebet in liberos incensum, quanto luctu sortem tristissimam filiarum illacrimatur!

Magnum igitur erectumque animum Oedipo suo Sophocles tribuit eumque ornavit multis maximisque virtutibus: nam et patriae est amantissimus et civium non rex magis quam pater, et pius et iustus et prudens et veritatis diligens investigator denique ut uno verbo dicam perfectus homo. His tamen virtutibus fervorem quendam admisit nec rege nec iuvene indignum, inque eo fervore maxime quasi cardinem actionis versari voluit.

Oedipum, quem Sophocles in principio tragediae suae quamvis publicam calamitatem lugentem attamen tamquam fortem navis rectorem, tumultu maris vehementissimo undique coorto ac desperantibus ceteris nautis et ad preces decurrentibus, magno animo et tranquillo unum adstantem inducit, eundem Seneca non solum publica miseria vehementissime commotum, verum etiam multo magis de sua ipsis salute dubitantem fingit. Ille Sophocles Oedipus non sibi timet, nam nullius sceleris conscientis quid sibi timeat non habet, huic vero alteri Apollinis minae obversantur et parricidii incestique tamquam reus metuit, ne quid in se gravius fortuna molitur. Ille innocens et tranquillus, hic nocenti et iamiam poenas daturo consimilis; gravis ille et

<sup>10)</sup> Iusto commotior et iracundior nonnullis Oedipus hoc loco videtur et violentiam eius magnopere reprehenderunt. Tamen non viderunt aut videre noluerunt non minore incensum esse ira Tiresiam, quamvis et senem et vatem. Nimirum illa gravissima lite carere non potuit poeta; quae nisi orta esset, certe Tiresias quod tamdiu tacuerat, non prodidisset. Etiam egregia irrisio, quam ironiam vocant, in eo cernitur, quod Oedipus quo magis studet patriae succurrere laboranti, eo propius ad suam perniciem adducitur.

constans, fractus hic et abiectus. Quid quod de fuga hic, quum propter iram Apollinis in se arbitretur morbo vexari urbem,<sup>11)</sup> iam meditatur ac Corinthum ad parentes redire se velle ait? Neque tollitur profecto ignaviae crimen eo, quod ipse de fortitudine sua praedicat in Sphingis caede cognita. Ac talem quidem in primo actu se praebet Oedipus. Allato Apollinis responso acerbius in Creontem invehitur eumque insimulat odio Laii caudem eius ultum non esse. Et quum ille respondisset tantam fuisse cladem, quam Sphinx Thebanis attulisset, ut quaestio haberi de Laii morte non potuisse, Oedipus dira mala in caput eius imprecatur, qui caedis auctor fuerit:

Hunc non quieta tecta, non fidi lares,  
Non hospitalis exsulem tellus ferat.  
Thalamis pudendis doleat et prole impia.  
Hic et parentem dextera perimat sua;  
Faciatque (num quid gravius optari potest?)  
Quidquid ego fugi,<sup>12)</sup> non erit veniae locus.

Laii umbra ex inferis evocata, inter Creontem, referre quid viderit et audiverit nolentem, et Oedipum nuntiare iubentem similis rixa oritur atque apud Sophoclem inter Tiresiam et Oedipum esse fingitur. Qua in re male Seneca Sophoclem imitatus est. Nam apud hunc Tiresias arcessitus a rege quae dicere non vult iubetur indicare, apud Senecam autem sponte Creon ut de inferis exponat in scenam revertitur et quamquam gravissimo supplicio territus tandem fateri fingitur, tamen ita versatur in describendis narrandisque inferorum formidinibus, ut non coactus referre, sed dedita opera quam ornatissime et copiosissime rem absolvere voluisse videatur. Oedipus autem statim suspicatur Creontem et Tiresiam machinatos esse fraudem, ut se de regno depellereant, et postquam Creontem acerbissime increpuit, in carcerem eum duci iubet. Et in duabus his altercationibus talem se praestat Oedipus, quales Romani, quibus regium nomen odiosum erat, fortasse sibi fingebant reges: suspicionis plenum, iracundum, impotentem, et ita verba facit, ut Tarquinium loquentem eique respondentem Brutum audire tibi videaris. Tamen iste regni defensor laesaeque maiestatis vindicta Oedipus non meminit ea, quae in primo actu contra regnum declamavit:

Quisquamne regno gaudet? o fallax bonum,  
Quantum malorum fronde quam blanda tegis!

Quid quod ibi gloriatur non sponte se sed quasi coactum regnum Thebanum suscepisse?

Cochum deosque testor: in regnum incidi.

Nimirum primum ad favorem theatri credo sibi conciliandum regni osorem libertatisque amicum se gerit, mox ubi regnum suum in angustias adductum suspicatur, acerrimus subito fit regni defensor et vindicta. Vides igitur loqui eum non ut Thebanum, sed ut Romanum, minime tamen constantem illum et fortem. Nam etiam in hac re inconstans est, quod quum paullo ante iure se sontem haberi negaverit, tamen iam dubitare se dicit Laiusne ille fuerit, quem olim a se occisum in trivio esse repente reminiscatur. Unde, queso, hic tam repentinus timor? Unde tam subito iniecta caedis factae memoria? Nullam equidem video causam. At apud Sophoclem est. Apud eum enim Oedipo fatali illo trivii verbo in memoriam revocatur caedes a se commissa. Iam eo loco, quo Oedipus, nuntio accepto Polybum diem supremum obiisse, a sene Corinthio edocetur de infesta sua origine, non satis possum mirari sive Oedipi sive Senecae levitatem. Quid enim? Nonne aperte et distincte Laius ab inferis evocatus Oedipum filium suum esse dixerat his versibus:

Te, te cruenta sceptrta qui dextra geris,  
Te pater inultus urbe cum tota petam?

<sup>11)</sup> Postea tamen a Sphingis interitu pestilentiae originem repetendam esse existimat v. 106.

<sup>12)</sup> Pro »Quidquid ego fugi«, quod propter metricas leges ferri non potest (cf. L. Muelleri de r. m. p. 154, Richter l. l. p. 18), scribendum esse videtur »Quidquid profugi.«

At ille sagacissimus homo, »cui soli, ut ipse gloriatur, ambigua noscere detur«, prorsus non intellexisse patris verba vel potius ne audivisse quidem videtur. Quod cur factum sit, intelligere non possum, nisi forte Seneca quem mentis quadam caecitate in perniciem ruentem finixerat Sophocles, cumulato vitio etiam surdum esse voluit. Sed videamus reliqua. Cognitis patre et matre Oedipus deiectus statu suo et in summum furorem conversus nihil aliud meditatur, quam ut flagitiis suis dignam poenam a se ipso repeatat. Itaque domum ingressus novum supplicii genus excogitat, quo scelera sua compensentur atque expientur. Ita enim locutum eum esse nuntius refert:

— — — iterum vivere atque iterum mori  
Liceat; renasci semper, ut toties nova  
Suppicia pendas; utere ingenio miser.  
Quod saepe fieri non potest, fiat diu.  
Mors eligatur longa, quaeratur via,  
Qua nec sepultis mixtus et vivis tamen  
Exemptus eres; morere, sed citra patrem.

Quae supplicii optio frigidi habet aliquid et inepti; nam abhorret a probabilitate hominem furore abreptum et mente captum tranquillo et lento animo recensere poenarum varia genera, ut gravissimum ex eis eligat. Apud Sophoclem Oedipus rationem reddit quidem, cur luminibus se privaverit, sed post factum, animo iam magna ex parte sedato, id quod tamen nonnulli non sine causa reprehenderunt.

Denique visu carentes in scenam reversus Oedipus ubi matrem adesse cognovit, abominatus eam recedere a se quam longissime iubet:

— — — nefandos dividat vastum mare  
Dirimatque tellus abdita, et quisquis sub hoc  
In alia versus sidera ac solem avium  
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.

Et eodem modo cetera aguntur. Nulla inest miseratio, nullus mollior sensus, omnia sunt plena terroris, irae, furoris. Et sicut capitis damnatus aliquis ob magnum scelus quum ad supplicium ducitur, adstantium multitudinem horrore magis quam dolore afficere solet: ita Oedipus in exsilium profecturus et solitudinem non id spectat, ut sui misereat cives sed odio in se inflammet potius, ac rerum atrocitatem, si fieri possit, etiam verbis suis accumulet. Quam placatus contra et miseratione nostra dignissimus ille apud Sophoclem Oedipus! Nam diro fato obstrictus et humana imbecillitate lapsus quamquam immania facinora patravit, tamen intuentes eius ingenium altum et praeclarum moresque emendatos non possumus non commoveri dolore, lugere, lacrimas fundere. Sed Seneca ut talem fingeret Oedipum, qualem exposui, disciplina illa severa populi romani adductus esse mihi videtur, apud quos vel maximos cruciatu aequo et forti animo perferre summa laus, flere et eiulare turpissimum habebatur.<sup>13)</sup> Itaque quum caveret, ne mollior et enervatus appareret Oedipus, in contrarium vitium incidit eumque fecit atrocem et truculentum.

### Iocasta.

Apud Sophoclem Iocasta tum primum inducitur, quum contentione et rixa inter Oedipum et Creontem finita altera pars actionis incipit, quae conversionem, quae περιπέτεια vocatur, continet. Et summa admirabilique arte poeta illud inter regem eiusque uxorem colloquium sic instituit, ut tragica vis ei insit maxima ludibriumque fortunae nullo loco totius fabulae magis

<sup>13)</sup> Quare Cicero in Tuscul. disp. libro II. graecos poetas — respicit autem maxime tragicos — vehementer vituperat eosque dicit nervos omnes virtutis elidere. Verba eius haec sunt: Sed videsne poetae quid mali afferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros, molliunt animos nostros, ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sie ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam quum accesserunt etiam poetae, nervos omnes virtutis elidunt.

appareat. Querenti enim Oedipo crimini sibi dari a Tiresia, quod Laium interfecisset, Iocasta probare studet augurum artem nullam esse. Etiam Laio olim non Apollinem (eum enim non fallere homines), sed sacerdotes vaticinatos esse, fore ut ipse a filio, quem ex uxore procreasset, necaretur. Eventum longe alium fuisse. Namque illum a praedonibus in trivio occisum, hunc trium vix dierum puerum in deserto monte expositum periisse. Quapropter ne curaret haruspicum somnia, deum ipsum, quacunque re opus esset, facile et exploraturum esse et indicaturum. Cuius impietatis ac levitatis mulier improba statim poenas luit gravissimas. Dixerat Iocasta in trivio Laium necatum esse; hoc unum verbum et ipsam et Oedipum perdit. Huic enim protinus in mentem venit illius senis, quem adolescens ipse procul Delphis in trivio olim occidit, et vehementissimo timore agitatus, ne is Laius fuerit, ex uxore querit quo tempore et loco caedes facta sit, qua aetate et quo habitu occisus rex fuerit. Iubet igitur pastorem vocari, qui a praedonibus occisum esse Laium pervulgaverat. Iocasta negat pastoris testimonio rem immutari posse, nam sive constet sibi testis, sive non constet, sive occiderit Laium Oedipus, sive non occiderit, hoc dubium non esse, quin vetus illud oraculum irritum factum sit, quoniam Laium praedixerit filii manu peritum, quem tamen manifestum sit infantem esse mortuum. Quare nulli se posthac augurio fidem habituram esse affirmat. Quod insigne impietatis sua documentum ubi dedit, in regiam se cum Oedipo recipit. Paullo post in scenam rursus egreditur, ut pro coniuge nihilo minus inter spem et timorem suspenso deis vota faciat. »In eam cogitationem, cives, inquit, incidi<sup>14)</sup> cum precibus et sacris donis deorum templa adire, namque Oedipi animus nimis aestuat variis sollicitudinibus agitatus, neque quod prudentem virum decet, nova ex veteribus aestimat, verum si quis horrenda loquitur, aures praebet. Et quoniam consolans eum nihil profeci, ad te, Apollo Lycee, tu enim proximus, supplex venio orans, ut salutem aliquam nobis praebreas, nam omnes pavemus, quum illum, qui tamquam navis gubernator est, videamus perturbatum.« Audimus mulierem necessitate coactam, non reverentia deorum impulsam eius ipsis dei auxilium implorare, cuius oracula paullo ante mendacii insimulavit; ea enim est hominum et maxime levium natura, ut »tum maxime ex memoria eorum deus elabatur, quum beneficiis eius fruntur.«<sup>15)</sup> Sed in ipsa necessitate vide, quam non possit occultare animi ingentem levitatem. Et tamen votis eius impia mente conceptis deus adesse videtur. Quam salutem ab Apolline petiverat, eam nuntius Corinthius afferit, quum Polybum regem mortuum esse regnumque a populo ad Oedipum deferri nuntiet. Quo quid magis animum Iocastae oraculorum contemptorem confirmare potuit? Polybum enim patrem, quem putabat, Oedipus ne interficeret, Corintho profugerat; mortuo illo solitus omni cura et culpa videri poterat. Quare Iocasta exsultans laetitia eum exire domo iubet et per ludibrium addit: »o deorum oracula, quo cecidistis? quem virum Oedipus veritus ne interficeret dudum exsulabat, is casu perit, non per illum.« Et ad coniugem conversa eadem repetit verba: »ex ipso nuntio cognosce, quo abierint veneranda illa oracula!« Tum vero etiam Oedipus summo gaudio perculsus valere iubet omnia et oracula et auguria. Tamen exemplo metus reddit, ut matris matrimonium effugiat. Iocasta vero, quanta eius est et laetitia et levitas, vana eum timere affirmans, magis aperte quam vitae rationem ipsa sequatur pronuntiat: »quid est quod timeat homo, inquit, quum fortunae potentiae subiectus sit, neque quisquam satis providere sibi queat? in diem vivere, ut quisque poterit, praestat. Tu vero noli matris coniugium timere, facillime vivit, qui talia pro nihilo ducit.« Quam uxor sententiam Oedipus quamvis probet, tamen, dum mater vivat, sibi timendum esse ait. Certior autem factus a Corinthio nuntio se non esse Meropae filium, arcessi iubet pastorem, a quo acceptum infantem Oedipum nuntius se narraverat Corinthum asportavisse. Iocasta vero nuntii verbis quam maxime commota et omni iam levitate et superbia deposita, quum tristissimum exitum pertimescat ac propemodum suis oculis cernat, ne amplius inquirat, coniugem, si se ipsum salvum velit, obsecrat. Quod ille falso sic interpretatus, quasi timeret illa, ne pudendo et ignobili loco ortus ipse reperiretur, bono iubet eam animo esse et mandatum dat, ut aliquis pastorem adducat. Tum vero

<sup>14)</sup> v. 911: δοξα μοι παρεστάθη ναοὺς ιχέσθαι δαιμόνων cf. Schneidewin. ad h. l.

<sup>15)</sup> Lactantii verba sunt (de origine erroris l. l.)

Iocasta ingenti dolore cruciata: heu, heu te miserum, inquit, hoc unum habeo; quod te compellem, nihil posthac dictura, et amens in domum ruit, ut mortem sibi consciscat.

Ingens igitur in Sophoclea Iocasta conspicitur levitas, maxima impietas, nulla religio. Ac quaesiverunt multi, quibus causis adductus poeta talem Iocastae indolem tribuerit; nobis quidem recte iudicare Iacobus (Quaest. Sophocl. p. 323) videtur quum haec dicat: »Iocastae ingenium cum egregie et Laii uxori conveniat et fabulae nostrae varietatem augeat, ego quidem etiam aliam ob causam dico sic ab Sophocle esse institutum. Etenim vidit ille non minus bene nostris illis Aristarchis, puto, in vetustis Oedipi calamitatum narrationibus tum alia plura esse parum probabilia, tum vix potuisse fieri, quin Iocasta, quis vere esset ille Oedipus, si non clare perspiceret, at certe suspicaretur. Itaque sapientissimo consilio poeta eam et tam levem finxit, ut vel tunc, cum terribilium errorum iam plura inventa vestigia essent, Oedipum ab iis indagandis dehortaretur; et vaticiniorum ei tantum contemptum tribuit, ut pro certissimo filium suum, expositum in Cithaerone, periisse sumeret. Neglexit igitur non solum Oedipi cum patre similitudinem, sed ne cicatrices quidem illas in Oedipi pedibus animadvertisit, quas Sophocles non potuit silentio praetermittere, cum ex iis ille nomen accepisset.« Sed vereor, ne nimis iam multa de Sophoclis Iocasta verba fecisse iudicemur; itaque eius imagini opponamus imaginem Iocastae a Seneca fictam.

Hic vero in primo statim actu Iocastam suam in scenam induxit, Oedipo ignaviae vertentem, quod se victim mole laborum fateretur ac manus quasi fortunae daret. »Quid iuvat, inquit, mala gravare questu? regium hoc ipsum reor adversa capere; quoque sit dubius magis status et cadentis imperii moles labat, hoc stare pressius fortem gradu. Haud est virile terga fortunae dare.« Fortissime loquitur mulier, sed fortius fortasse quam verius. Nam permutasse poetam viri naturam cum mulieris indole et contra naturam peccasse videtur, qui lamentantem et tantum non profugientem virum finxerit, mulierculae vero et constantiam et fortitudinem tribuerit in tanta omnium rerum perturbatione, quanta tum Thebis fingitur fuisse, admirandam. Et ut concedamus poetae fuisse eiusmodi esseque hodie mulieres, quae fortitudine viros superent: hoc credo dubitari non potest, quin haec Iocasta ab illa, quam apud Sophoclem cognovimus, multum differat. Levem illam et mollem, hanc constantem et fortem videmus. Accedit in hac quaeradum superbia non minus e regia dignitate profecta quam animo insita, quare cum contumelia coniugem obiurgat: »Quid sera mortis vota nunc demens facis? Licuit perire; laudis hoc pretium tibi sceptrum et peremtae Sphingis haec merces datur.« — Iterum quarto actu cum Oedipo congregatur Iocasta, verum tam paucis verbis eo loco res absolvitur, ut inde quod mores eius illustret, colligi nihil possit. Interroganti enim regi, quando et quo loco perierit Laius, singulis versibus ita respondet, ut quid ipsa de ea re cogitet prorsus ignores. — Denique in extrema tragœdia Iocasta, postquam Oedipus, duplicitis flagitiis convictus, se ipsum occaecavit, in scenam reducitur, ut coram spectantibus sua se manu interficiat. Atque hoc loco Seneca rem difficillimam ausus, quanta animi perturbatione miserrima mulier affecta esset, ostendere voluit. Itaque eam fingit pudore primum haesitare, utrum alloquatur maritum necne, deinde vero amore materno victam talia verba facere, qualia quum animus eodem tempore cupit et fugit, odit et amat, mulieris naturae maxime convenire arbitratus est. Haec inter pietatem et pudorem contentio et quasi decertatio habet magnam vim ad commovendos animos. Verum poeta ad terrorem spectantibus iniiciendum quam ad miserationem movendam propensionis, animos molliri non passus, subito in ferociam atque furorem Iocastam revocat. Quae postquam frustra consolata est filium, negans quemquam fato fieri nocentem, subito omni spe salutis abiecta, conscientia sceleris sui atque dolore confecta mortem sibi inferre statuit. Verba autem illa, quibus consilium suum indicat, nescio quid habent molesti et frigidi et ex rhetorum officina, ut ita dicam, potius repetita, quam ad naturam accommodata videntur. Quid quod etiam argutiis utitur et quo est acumine reperit Laium vero nomine sacerum sibi esse appellandum? Non fugit me etiam dolori suos esse sales eorumque, dum recte a poetis adhibeantur, vim esse maximam, tamen illo Iocastae dicto fateor nihil mihi videri dici posse insulsius. Sed quoniam ad finem perventum est, comprehendamus singula atque qualem Seneca Iocastam finxerit breviter exponamus. Ferox et superba primum appetet, tum rerum atrocitate devicta matrem se praestat filii miserrimi, quamvis eius

eam pudeat, amore ac miseratione vehementissime commotam, denique postquam tribus verbis culpam in fatum transferre conata est, a filio refutata, omni spe protinus abiecta, ad insitam ferociam conversa uterum gladio ferit. Atque illam affectuum in Iocasta tam repentinam commutationem si consulto poeta statuit, ut inconstantiam mulieris summa aegrimonia confectae significaret, male eam invenit, quippe quae in fortē illum et ferocem animum, qualis Iocastae esse fingitur in principio fabulae, cadere non posse videatur; sin autem nulla certa ratione ad ductus tam inconstantem Iocastam finxit, negligenter fecit, quod ad finem properans animi motuum inter se coniunctionem et quasi gradus omnes sustulit. Ceterum etiam hoc animadvertere licet, apud Senecam Iocastam matrem agere, apud Sophoclem uxorem.

Atque haec quidem sufficient de personis, nam in ceteris comparandis diutius versari nihil attinet neque fines huic libello concessos egredi licet. Pauca tamen de Senecae arte in describendis moribus addenda videntur. Omnes homines, quos ille inducit, quum maxime partes suas agunt, nimis breves et subobscuri sunt in dicendo, quare diverbia Senecae Schlegelius comparat ei dicendi generi, quod in epigrammatis adhibetur,<sup>16)</sup> at quum narrant nuntiantve aliquam rem iusto sunt verbosiores. Ita fit, ut mores et studia et sententiae eorum, qui loquentes vel agentes inducuntur, non satis appareant, et narrando potius quam agendo res absolvantur, denique species quaedam et inania simulacra hominum — umbris mortuorum simillima — inducantur et vel ei ipsi, qui primas partes agunt, sanguine nervisque carere videantur. In tanta autem macie et facilitate dictu est difficile, qualem singulis poeta tribuerit habitum, et idem fere accidit intuentibus aestimantibusque eius personas, quod Homerus Ulix apud inferos accidisse dicit, cuius inter manus matrem amplecti cupientis ter umbra diffluxit levi simillima aurea.

#### III. Quomodo Seneca in timoris et miserationis sensibus excitandis versetur, quaeritur.

Aristoteles, longe omnibus philosophis antiquitatis praestans et ingenio et diligentia, in libro de arte poetica tragoidiam dicit esse actionis perfectae imitationem, quae quum spectantibus timorem et miserationem iniiciat quasi purget eos animi affectus. Quae sententia quamvis obscura et plurimis diversisque virorum doctorum temptata interpretationibus sit, hoc tamen philosophus recte videt et ex optimis optimorum poetarum tragediis collegit: ex variis sensibus, quibus homines commoveantur, nullis magis nisi vim tragicam quam timore et miseratione. Carere quidem non potest tragedia ceteris sensibus affectibusque, et quamquam poeta nonnumquam fortitudinem, amicitiam, patriae amorem, constantiam tacite quodammodo commendat, contraria virtus vituperat, hoc tamen imprimis spectat, ut humanae sortis fragilitate in magno aliquo et perfecto homine declarata timore multitudinem afficiat et simul cognita hominis eiusdem virtute et animi magnitudine miserationem ei moveat. Quae quum ita sint, optima illa erit tragedia, in qua neque timor abest neque miseria, sed contra ex utroque sensu profecta mixtaque inest virtus, qualis in Sophoclis tragediis cernitur, qui medius est inter Aeschyli austernitatem et Euripidis mollitatem. Et in Oedipo quidem Rege maxima arte Sophoclem his sensibus usum esse ad animos non solum delectandos verum etiam erigendos quum alii exposuerunt, tum copiosissime et ornatissime Theodorus Kockius in libro suo de Aristotelis *ταθάρσεως* notione eiusque in Sophoclis Oedipo Rege usu ostendit.

Seneca autem, quam pravo sit iudicio, in nulla re magis cernitur quam in sensibus illis tragicis excitandis. A primo enim actu ad ultimum unum hoc agit, ut horrore quam maximo multitudinem afficiat eumque semper et rebus et dictis augeat neque fere spectantibus sui col-

<sup>16)</sup> Dramat. Vorles. I, 314.

ligendi facultatem det. Mitioribus affectibus, imprimis miseratiōni, locus non est, et si tamen quando est, poeta tamquam molliri animos non patiens in vehementissimas perturbationes eos non dico revocat sed quasi praecepitat. Ad terrorem iniiciendum omnia sunt accommodata et quae dicuntur et quae aguntur. Itaque in primo actu poeta morbi vim et stragem hominum per urbem agrosque editam per quadraginta versus ornate quidem sed eo consilio sine dubio descripsit, ut malorum propositorum atrocitate horrorem incuteret animis; neque ea pestilentiae descriptione contentus chorūm longissimo carmine, quod continuo sequitur, de causa et origine morbi deque eius incrementis et de malis, quae et in pecudibus et in bestiis et in hominibus efficiat, ita canentem facit, ut medicum aliquem audire tibi videaris.

O dira novi facies leti  
 Gravior leto! piger ignavos  
 Alligat artus languor; et aegro  
 Rubor in vultu maculaeque caput  
 Sparsere leves; tum vapor ipsam  
 Corporis arcem flammeus urit;  
 Multoque genas sanguine tendit  
 Oculique rigent et sacer ignis  
 Pascitur artus; resonant aures  
 Stillatque niger naris aduncae  
 Cruor et venas rumpit hiantes.

Quid potest istis cogitari aut tetrius aut foedius? Alia est poetarum, alia rerum scriptorum ratio: quae in historiis probantur — quis enim est quin Thucydidis pestilentiae Athenas vexantis descriptionem summa laude dignam esse censeat? — eadem nullo pacto etiam poetis concedi possunt. Quam praeclare in eadem re versatus est Sophocles! Apud quem quum sacerdos dialis paucis verbis morbi mentionem fecisset, postea chorus brevissime et pulcherrime mala pestilentiae vi orta luget, quac, si placet, apud ipsum lege.

Deinde Creon apud Senecam eo loco, quo nuntius ab Apolline revertitur, facere non potest quin ad animos multitudinis terrendos Delphici sacri formidines tumida oratione narrat. Quid quod ad augendum terrorem etiam numeris eo loco usus est plenioribus et gravius sonantibus? Non est quod addam apud Sophoclem Creontem simplicissimo sermone referre, quid fieri deus iusserit.

Multo etiam magis Seneca quid valeret in formidine animis iniicienda expertus esse videtur in sacrificio illo a Tiresia ad cognoscendum Laii percussorem instituto. Nam atrocissima, quae haruspicibus obvenire possunt, tum esse facta fingit, immo commentis utitur a probabilitate prorsus alienis, quibus nihil fingi potest nec ineptius nec monstruosius. Nam ut taceam de miro illo ignispicio, quid dicamus quod Manto refert in iuvenca mactata marem non passa inventum esse fetum? Sed ipsum audi poetam:

Quod hoc nefas? conceptus immuptae bovis  
 Nec more solito positus alieno in loco  
 Implet parentem; membra cum gemitu movet.  
 Tremulo rigore debiles artus micant.  
 Infect atras lividus fibras crux;  
 Tentantque turpes mobilem trunci gradum:  
 Et inane surgit corpus ac sacros petit  
 Cornu ministros.

Quo nemo non dico graecorum sed ne romanorum quidem poetarum unquam excogitavit insulsius.

Sed ne illius sacrificii quidem terrores poetae sufficiunt. Nam Tiresias, bonus iste sacrificulus, qui paullo ante gloriatus erat, se, si iuvenis esset, pectore suo deum excepturum fuisse, postquam certissima haruspicinae signa interpretari se posse negavit, ipsum Laium ab inferis evocandum et de caedis auctore consulendum censem. Nimirum maioribus aurium lenociniis opus esse videbatur, ut voluptam vilem illam perciperet theatrum, quae nasci solet stupidae plebe-

culae ex rebus visu audituque foedissimis.<sup>17)</sup> Itaque Creon postquam excitandis mortuorum imaginibus interfuit et alia horrenda refert et de Laio haec persecutur:

Stetit per artus sanguine effuso horridus  
Paedore foedo squalidam obtentus comam,  
Et ore rabido fatur: O Cadmei effera,  
Cruore semper laeta cognato domus,  
Vibrate thyrsos, enthea natos manu  
Lacerate potius — — —

et cetera eodem modo, ne nimis simus in versibus afferendis.

Terroris etiam incutiendi causa factum est, quod Oedipus Creontem, quem Sophocles in exilium missum fingit, in carcerem detrudi iubet; hinc factum existimamus, quod Phorbanti seni fateri cunctanti ferro calefacto, quod manu tenet, vim minatur; hinc, quod scelere suo cognito non fibula vel gladio, sed suis sibi manibus foede oculos evellit; hinc, quod Iocasta palam se interficit — tale quid in scena fieri iam Horatius vetuerat — quod ense non iugulum aut pectus, sed uterum, tamquam peccati sedem, percutit.

Itaque Seneca quae moderate et sapienter, ut solet, finxerat Sophocles, quasi nimis ille molliter fecisset, corrigere voluisse videtur adhibita et crudelitate et formidine et furore. Fere omnia, quae in scena dicuntur, plena sunt tumoris, superbiae, violentiae, quae aguntur eiusmodi sunt, ut atrociora et foediora vix mente possis concipere. Et quamquam verum est, quod Schlegelius ait, eam fuisse indolem populi romani, ut tragicum poetam, qui vere dignus esset eo nomine, ferre vix potuisse,<sup>18)</sup> tamen magna ex parte Senecae vitia ex ipsius iudicii pravitate repetenda esse cum Quintiliano existimaverim.

Molliores sensus Senecae fabula paene habet nullos, etiam eis locis, quibus poeta, ut eos moveret tantum non cogebatur, tamen eos aspernatus est. Velut Oedipus non benigno ac fraterno se praebet animo erga Creontem, sed imperioso et invidiae pleno. Audita patris, quem putat, Polybi morte, hisce verbis pietatem suam ac potius sui ipsius amorem declarat: »Ut undique in me saeva fortuna irruit! Et ut breviter dicam, nullo loco mitiorem aliquis inveniat affectum, nisi co, quo Iocasta occaecatum filium alloquitur ingenti dolore cruciata.

Itaque quum miserationi nullus paene locus relinquatur, catharsis in hac tragoedia nulla est, quam poeta si efficere voluisse, in extrema parte operis sui non truculentum et rabidum et quasi ἐαυτὸν τιμωρούμενον finxisset Oedipum, sed mitem et placatum et miseratione nostra dignum. Ille vero quasi ex dolore suo ingentem voluptatem capiat, crimina sua auget inanibus cogitationibus et ita Apollinem increpat:

Fatidice, te, te praesidem veri deum,  
Compello; solum debui fatis patrem.  
Bis parricida, plusque quam timui nocens,  
Matrem peremi; scelere confecta est meo.  
O Phoebe mendax, fata superavi impia.

<sup>17)</sup> Omnibus temporibus Romani, quorum indoles tetrica et dura esset, ei voluptati inservivisse idque studium tragici poetae etiam auxisse videntur. Cf. Ciceronis verba in Tuscul. disp. I. I: »Ecce alias exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:

Mater, te appelle, quae curam somno suspensam levas  
Neque te mei miseret, surge et sepeli natum . . .

Haec quum pressis et flebilibus modis, quā totis theatris maestitiam afferant, concinuntur, difficile est, non eos, qui inhumati sint, miseros indicare.

<sup>18)</sup> »Den Römern war es nicht gegeben, durch gemässigte Accente des Seelenleidens zu röhren und mit schöner Hand die Tonleiter der Gefühle durchzuspielen. Natürlich suchten sie auch im Trauerspiel mit Uebersprünghg aller Mittelgrade immer das Äuusserte, sowohl im Stoizismus des Heldenmuthes, als in der ungeheuern Wuth verbrecherischer Gelüste. Von ihrer alten Grösse war ihnen nichts übrig geblieben, als der Trotz gegen Schmerzen und Tod, wenn der ausschweifende Genuss des Lebens endlich damit vertauscht werden musste.« Dram. Vorl. I. p. 341.